



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

I. Calvinus misso Episcopi nomine, Ministri nomen retinuit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

torij ad S. Frontonem, Sanctones ad S. Eutropium, Turones ad S. Julianum, Cemonanenses ad S. Julianum, Bellouacenses ad S. Lucianum, Senones ad S. Potentianum & Sabianum, Augustodunenses ad S. Andochium, Aginnenfes ad S. Firmianum (qui & Ambianensis postea fuit Episcopus) per continuam successione[m] te deducet. (1) Sic Tertullianus hæreticos sui temporis alloquitur. Edant, inquit, origines ecclesiarum suarum: euoluant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolo perseverauerit, habuerit auctorem & antecessorem. Que vnica probatio ad tuendam veterem nostram possessionem sufficiens est; ut & defectus illæ continuæ successione, quæ nouella Ecclesia apud se repetiri negare non potest, satis demonstrat, nouam illã esse doctrinam, ac proinde falsam. Beza antecessorem Caluinum, hic socium nobis Farellum monstrabit. En tibi totam seriem. Sed ò miseram successione[m], quæ ad tertium gradum non pertingit! At quemadmodum Deus ipsis diabolis quandoque ad ea quæ vult ministris vritur, ac etiam non raro ab ipsorum hæreticorum ore exprimit veritatem. Cuius rei notabilem en tibi historiam, qua & caput hoc concludam.

VII. Homo quidam honesta familia apud Mediomatricos ortus, hæreseos abreptus torrente, ad Ministerium fuerat adscriptus, & in Germaniam missus: quod ille officium aliquamdiu exercuit, ac quidem in Heluetia eo tempore quo Henricus IV. Galliarum rex, repetito Salasiorum Marchionatu & non reddito, bellum Sabaudio intulit. Hominis huius operam quum Sillerius, vir tam literis quam multarum rerum experientia ac prudentia instructissimus, commodam sibi atque vtilem fore existimaret. Genenam eum misit: quo ille profectus, Bezam, apud quem diuerterat, pro more suo ad populum phaleras iacentem, diligenter audiebat. Quodam die quum Beza textum ex cap. A& Apostolorum de S. Stephano explicaret, & Catholicæ Ecclesiæ latifus dia cum parui sui gregis, ut eam in Præfatione Psalmodiæ Beza Maroticæ appellat, angusta corte compararet, tandem ad Apostolorum successione[m] delapsus, inquit: Quod si aduersarij rogent, ubi sit apud nos illa successio & S. Petri sedes? Mittamus omnino hæc questione[m], quum negare non possimus, personalem hanc successione[m] velut, de manu in manum traditam penes Papistas esse. Paulo post ad Bezam reuertitur Minister ille, ut

& alij pensionarij. *Ecquid noui haberet rogatus? Mirabile quid, inquit ille. Tum Beza. Quidnam? aut à quo? Tum ille. Cerè à te ipso domine. Dixisti enim Apostolicam successione[m] penes Papistas esse, in dca à S. Petro ad hæc usque tempora continuato ordine. Quod si ita est ergo nos sumus schismatici. Ibi Beza. Habent illi, inquit, successione[m] personalem, nos vero doctrinam. Quomodo vero, aiebat Minister, personalis successio à doctrina separari possit? ubi ergo illa capita sunt in quibus hæc doctrina residet? quinam illi erunt Pastores ad ouile legitime vocati? Tandem abrupto sermone, ne circumstantes offenderentur, bonus ille vir probe omnibus trutinatis ad Sillerium reuersus, animi sui scrupulum ei exposuit, Luteriamque primum ad Pontificis Legatum Cardinalem Florentiam, ac demum Anno M. DC. Romam profectus, à S. D. N. Clemente VIII. Pontifice, cum septuaginta sex alijs, ad Catholicæ Ecclesiæ communionem receptus fuit, tandem vero in Vasconiam venit, quod patrium solum ei interdictum esset: qui mihi ipse conuersionis suæ, cuius prima fundamenta ipse Beza iecerat, historiam narrauit.*

## DE MINISTRIS, EORUM NOMINIS origine, receptione, & officio.

### CAPVT VI.

#### ARGUMENTUM.

- I. *Calvinus misso Episcopi nomine, Ministri nomen resinuit.*
- II. *Nominis eius origo.*
- III. *Verba Beza ad Lansaci toparcham.*
- IV. *Caluinistica Ecclesia nullos agnoscit Doctores.*
- V. *De Ministris: quorum officium in veteri Ecclesia fuit famulari, in noua, regere ac gubernare.*
- VI. *Quomodo Ministri recipiantur, nescit eis Latini textum allegare, eorumque ars præcipua, Institutio, Salarium.*
- VII. *Quo loco monachi excucullati apud Calvinistas habeantur.*
- VIII. *De manuum impositione.*

I. **E**quidem quando mecum considero, quod nouæ ille Ecclesiæ architectus, repudiato  
 Rt 2 Episcopi  
 1 Vide Galliam Christianam.

Episcopi nomine, tantis sordibus illo quidem indigno, vili & abiecto Ministri titulo insigniri voluerit, non possum quin cum Genebrardo exclaimem, id certo Spiritus S. consilio factum esse, quum nomen illud in religionis materia infame sit, vel certe contemibile & abiectum. In sacrificiis enim Ministri dicebantur, qui victimam immolandam ad aram ducebant, mactabant ac dissecabant. Hinc Virgilius,

*— ceciditq, inter moribunda Ministros,*

de bone loquens, quæ antequam mactaretur, peste extincta conciderat. Quamuis etiam nomen hoc generale sit. Dicimus enim etiam Ministros qui circa Reges ac Principes sunt, ad accipienda mandata. Ministri vero Ecclesiæ apud Catholicos dicuntur, qui vel sacris ædibus, vel diuinis officiis inseruiunt, vt æditui, & alij. In Sacra Scriptura iudas à Pontificibus & sacerdotibus Ministros accepisse dicitur (a) quorum opera in comprehendendo D. N. Iesu Christo vteretur. Quid multis? Nouum sane est, & Ecclesiæ Maiestate indignum, nomen hoc ijs attribui qui Verbum Dei annunciant, & sacrosancta Sacramenta administrant. Neque enim apud Ethnicos solum, vt iam dixi, verum etiã in SS. literis (b) nomen hoc in deteriorẽ fere partẽ accipitur, vt apud SS. Euangelistas & alios videre est.

II. Quemadmodum verò alias sæpe in hominum vita multa fortuito accidere videntur, ita hoc quoque Ministrorum nomen casu potius quam certo consilio à Caluino noui sui Euangelij præconibus tributum fuit, supra diximus, Caluinum quum apud Pictonas esset, tres præcipue selegisse quos tamquam Apostolos ad nouum Euangelium disseminandum huc illuc mitteret, nempe Veroniam, Bonum hominem, & Ramassarium sive Consarcinatorem. Ex his Bonus homo Minister vulgo dicebatur, eo quod in Ministraria (nomen est certi loci vel Collegij in Academia) Jurisprudentiæ tyronibus Institutiones Iuris prælegisset atque explicasset. Id nomen non solum ei deinceps quoque per Galliam discursans, & Calvini Euangelium prædicanti mansit, sed alijs etiam similis farinae hominibus, idem munus obeuntibus tributum fuit: ut vulgo dicerentur, Messieurs les Ministres, id est, Domini Ministri; quæ nomina ut neutiquam inter se congruant, ita vox illa Minister nec Græcis nec Latinis umquam in ea significatione usurpata fuit. Hinc iisdem postea Pastores dici voluerunt (quod tamen Calvinus numquam fecit) Protestantium sive Lutheranorum exemplo, qui

itidem repudiato Episcoporum nomine, Superintendentium nomen sibi sumpserunt. Quamuis autem palliati hi Ministri vili nomine gaudeant, nihilominus tamen Episcopale munus & honorem sibi arrogant, vt Balæi, Vadiani, Hofmeisteri, & aliorum patet exemplo. Illud vero ridiculum ac minime ferendum est, quod à ferula plerumque & imis inter Grammaticos subfellij eiusmodi homines ad tantum munus euehantur, vel ipsi potius enitentur.

III. Lanfacci dominus piæ memoriæ, Eques honoratissimus, narrauit aliquando mihi, se quum ex Legatione quadam reverteretur, per Geneuam curiositate quadam iter habuisset. Ibi Beza Caluini successorem ad se venisse, hac præfatione vsus, *Adesse pauperem Geneuensem Episcopum, salutandi ipsius, & obsequia sua deferendi causa.* Tum Lanfaccus, *Equidem promitori,* inquit, *animo hoc tuum officium accepturus & in complexum vltro ruiturus sim, si similis esses eius qui sedem hanc antehac obtinuit, nimirum ab eo qui vniuersæ Ecclesiæ præfatus missus: nisi prædecessores illi tui hac tibi sede vltro cessarint: quod mihi non sit verisimile.* Tum Beza, *illi,* inquit, *à Papa, ego à Deo ordinatus sum.* Post multa vtrimque super hac re commutata verba, Lanfaccus rogauit, cur seruire illud Ministrorum nomen sibi summissent. Ad quod Beza nihil aliud respondit, quam, non se primum Reformationis fuisse auctorem, sed descriptam ab alijs formam sequutum esse. Non esse ambitiosos illos titulos affectandos, modo res ipsa adsit. Honestum esse Ministrorum nomen, & muneri quo fungantur conueniens. Idem tamen in Commentarijs suis super Matthæum, (c) fatetur Ministri nomen esse ambiguum. Et vbi Diaconorum Ecclesiæ fit mentio, ait, Maluisse se Diaconos Græca voce, quum Ministros appellare. Idem tamen ambiguum nomen (d) cæcitatem! etiam Pastoribus suis tribuere non dubitarunt, Episcoporum interim titulum tanta ambitione affectantibus, Beza certè ipse ita appellari gaudebat, (d) vt manifestum est ex illa epistola quam Petrus Patrocalius in Pofsiaceno Colloquio ad Beza scripsit, in qua Archiepiscopi titulum ei tribuere non veretur. Vidisti hætenus, lector, aliqua ex parte Aristocraticam Caluiniæ ecclesiæ formam Quia vero eam præcæ illi Apostolicæ conformem esse iactant, age porro an

vlla  
a Ioan. 18 b Matt. 5. & 25. Luc. 12. Mar. 14. c Cap. 5  
d Espencans Apol. l. 3. c. 11.